



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXIV. An Consilia sint obseruatu poßibilia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

olescentulo: Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vende, vende omnia quae habes, & da pauperibus; & veni, sequere me* obedienter. Et hoc Consilium esse patet ex hoc: *Si vis perfectus esse*: Nam de necessitate præceptæ salutis dixeram: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Quod autem Consilijs istis suum sit præmium, meritumq; certum, subiuncto docui: *Et habebis thesaurum in caelo*. Sic omnis Patrum consensus est.

Sicque Petrus intellexit, ideo auditio Consilio hoc meo, aiebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis meriti ac præmij*? Matth. 16. respondit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*; quò magis tua: *Et tollat crucem suam, quæ existit ex concupiscentiæ stimulo perpetuando; & sequatur me, obediendo*. *Qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam in vitam æternam*.

QVÆSTIO XXIV.

*An Consilia Euangelica sint obseruatu
possibilia?*

XXXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

PRÆCEPTA Dei obseruatu possibilia nemini sunt; quanto minus, si quæ forent, altioris Consilia perfectionis.

CHRISTVS. 1. Verè Pater meus dixit per Moysen, Deu. 30. *Mandatum hoc, quod ego precipio tibi hodie, non supra te est; sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, in corde tuo, ut facias illud*. Eccl. 33. *Homo sensatus credit Legi Dei, & lex ei fidelis*. Et ego, Matth. 11. *Tollite iugum meum s. vos: Is-*

gum enim meum suauè est & onus meum leue.

2. Atque idcirco, Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; dixi adolescenti: *Qui mihi verè reddebat. Omnia hæc custodini à iuuentute mea. Quid adhuc mihi deest?* Consilium, inquam, Euangelicæ perfectionis. *Nam si vis perfectus esse, Paupertatem voluntariam sectare, vende omnia, & da pauperibus; & veni, cum flore castitatis, & sequere me* Virginem Virgo, & obedientem obediens.

3. Erit, quando, Act. 2. & 4. nemo, quæ possidebat, aliquid suum esse dicit; sed erunt illis omnia communia: & venditorum pretium ponent ad pedes Apostolorum: ac diuident illa omnibus, prout cuiq; opus erit. Factumque est ita.

4. Erit, quando vni Philippo parenti, Act. 21. erunt quatuor filie Virgines prophetantes: Si tunc tot, quot erunt cæteris? Sap. 3. *Felix sterilis, & incoquinata*. &c. Quare, Isa. 56. *Non dicat eunuchus: Ego lignum aridum*. &c. *Dabo eis nomen melius à filijs & filiabus*.

5. Quoad obedientiam; *Ego veni, non ut faciam voluntatem meam; sed Patris mei, qui in caelis est: Et hic est cibus meus*. Huc & Discipulos vocauit, Matth. 4. *Venite post me; & faciam vos fieri piscatores hominum*. *Et illi continuo relictis relictis relictis retibus & navi, secuti sunt me obediens*.

QVÆSTIO XXV.

An Vota sint Vtilia, gratusq; DEO cultus? An cum Veteri Test. sublatus?

G 3

XXXV.